De, & ſuper reparatione ECCLESIARVM.

SIquid eſt, quod vtilitatem publicam, & commune beneficium concernat, cumprimis conſideranda ſunt Eccleſiarum reſtauratio, & reparatio, rerumq; eis neceſſariarum prouiſio; quia non ſolum in eiſdem Eccleſijs fideles Sacramentorum participes, iuſtorumque votorum ſuorum compotes fiunt; verùm etiã domum Dei ædificantes, ſeù reparantes, ſuas ipſorum domos ædificant, & reparant; ſingulare exemplum exhibent verba Prophetæ Natan ad Dauid: *Annuncio ergo tibi quod ædificaturus ſit tibi Dominus domum, eo quod ædificabis domum ipſi, qui firmabit ſolium tuum vſq; in æternum.*

Quia verò filij huius ſæculi hæc ignorant, Viſitatoris officium eſt, eoſdem monere, & monitos legis remedijs cogere, ad Eccleſias ſiue inſtaurandas, ſiue erigendas, vt vel inuiti bonum, quod non agnoſcunt, operantes, tandem aliquando multò maiorem retributionem experti, quod ægrè ferebant, libenter præſtent: Quamobrem Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 8. hæc ſtatuit: *Locorum Ordinarij Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas authoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur &c. alijsq; debitis obſequijs minimè defraudentur: appellationibus, priuilegijs, & conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, Iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.* Et in ſeſſ. 21. cap. 8. ſic diſponit: *Quæcunq; in Diæceſi ad Dei cultum ſpectant ab Ordinario diligentèr curari debent, atque vbi oportet prouideri in omnibus Eccleſiis etiam exemptis. Curentq; iidem Epiſcopi congruentibus remedijs, etiam per ſequeſtrationem fructuum, vt quæ reparatione indigent, aut reſtauratione, reficiantur: appellationibus quibuſcunque priuilegijs, & conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſeruatorijs, & inhibitionibus Iudicum quorumcunq; non obſtantibus, imò penitùs remotis.* Quod idem diſponitur in eadem ſeſſ. 21. cap. 7. & ſeſſ. 24. c. 9. & alibi, in quibus Eccleſiarum refectio, reſtauratio, ac reparatio, & ornatio eſt vnus ex præcipuis S. Viſitationis ſcopus.

Nunc verò videndum eſt, à quibuſnam fieri debeant reſtaurationes, reparationes, & ornamenta. Et quia quatuor ſunt ſpecies Eccleſiarum, nempè ſimplicium beneficiorum, Iuriſpatronatuum, Cathedralium, ſeu Collegiatarum, & Parochialium cum cura animarum; ideò de his omnibus ordinatim diſcurrendum.

Præmittendum tamen eſt generaliter cum vniuerſis Iuribus, & Doctoribus, quod ſi adeſt ad talem effectum aliquod aſſignamentum à primordio fundationum quarumcumque Eccleſiarum, aut legatum, vel conſtitutio, ſeu ſtatus diſtinctus à redditibus Eccleſiarum, ſeruanda ſũt, vt notat *Ricc. collect. deciſ. p. 9. collect. 4203. ſquill. p. 1. de oblig. Epiſc.*

cap. 23. *n.* 4. *&* 10. tunc enim non tenetur Rector, dum Eccleſia non reciperet detrimentum. *Ita Squill. loc. cit. n.* 10. Si verò non adeſſet aliquod ex prædictis, videndum eſſet, ſi eſſet aliqua conſuetudo id fieri ab aliquo, ſiuè ex debito, ſiue ex voto, vel deuotione: quià ſanè vti pia ſeruanda eſſet. *c. ad Apoſtol. de ſim. & c. ſi propter tua, & ibi Gloſ. fin. Mant. deciſ.* 284. *n.* 1. *& ſeqq. Genuen. in pract. qq. q.* 249. *Ricc. in prax. par.* 4. *reſ.* 347. *Squill. vbi ſupra*. His præmiſſis generaliter pro omnibus cuiuſcunq; generis Eccleſijs, dicendum topicè eſt, quod

In Capellis, & Eccleſijs beneficiorum ſimplicium tenentur eas reparare, prouidere, &c. ipſarum Rectores, & beneficiati ex earundem redditibus: quarta enim pars fructuum Eccleſiæ aſſignanda eſt pro Eccleſiæ reparationibus. *c.* 1. *de Eccl. ædif. c. vobis c. quatuor c. conceſſo c. de redditibus, & c. moſ.* 12. *q.* 2. *Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 7. *de reform. Ricc. in praxi reſol.* 476. *n.* 2. *Surd. conſ.* 62. *à n.* 1. *Flamin. de reſign. lib.* 3. *q.* 15. *n.* 1. Quando tamen pro reſtauratione, & paramentis earum non eſſent inſtituti redditus, aut non ſufficerent. *Barb. de pot. Epiſc. alleg.* 64. *n.* 4. Et quando ex redditibus earundem remaneret aliqua portio vltra neceſſaria ad ſuſtentationem Rectorum beneficiatorum. *c. de ijs vbi Oſtien. n.* 3. *de Eccleſ. ædif. Abb. in dict. c.* 1. *n.* 2. *Surd. Flamin & alij ſupracitati.* Quibus Rectoribus, & beneficiatis renuentibus reparare, prouidere &c. debent ſequeſtrari fructus, aut ab ipſis idoneè caueri ea faciendi paulatim iuxtà ratam redditum *& Sac. Concil. Trid. vbi ſupra. ac ſac. Cong. Epiſc.* 2. *Aug.* 1581. Peccat n. mortaliter Beneficiatus ſi Eccleſiam ſuam non reparat; imò ſi magna eſſet ruina, puniri poſſet tanquàm dilapidator. *Genuen. in pract. q.* 740. *Squill. de oblig. Ep. p. p. c.* 23. *n.* 7. Tempus autem ad perficiendam Eccleſiam eſt annus. *c. nos quidem de teſtam.* & vltra, arbitrio Epiſcopi, quando opus perfici non poteſt intra annum *Genuen. in man. cap.* 35. *n.* 5. *cum omnibus*.

In Eccleſijs, & Cappellis de Iurepatr. & cæteris beneficialibus, tenentur, & adſtringi debent Patroni ad reparationem, &c. Sub pœna dandi eis Compatronum &c. etiam priuationis Iurispatronatus. per *Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 7. *§. Parochiales de reform.* cuius verba ſunt *Parochiales Eccleſiæ etiamſi Iurispatron. ſint, refici, & reſtaurari debent ex fructibus, & prouentibus quibuſcumque ad eaſdem Eccleſias quomodocumq; pertinentibus, qui ſi ſufficientes non fuerint, patronos, vel alios &c. omnibus remedijs opportunis cogi mandauit; appellatione, exemptione, & contradictione remotis.* fundans enim Eccleſias tenetur prædicta præſtare. *c. nemo de conſec. diſt.* 1. Etiamſi Eccleſia fundata fuerit auctoritate Epiſcopi, ſine aſſignatione dotis & neceſſariorum; quia in hoc caſu etiã patronus, per Epiſcopum compelli poterit. *Ita Gloſ. in d. c. nemo. Genuen. in man. c.* 36. *n.* 1. *in fin. Ricc. in Prax. p.* 4. *reſol.* 337. *Barb. ſup. n.* 16.

Maximè quando patronus aſſignauit dotem inſufficientem pro mercede Sacerdotis, & paramentis, ac reparationibus: & poteſt etiam compelli ad ſufficientèr dotandum, & interim tenetur ad hæc, & ad ſoluendum mercedem Clerico ſeruienti in Miſſa, & in Eccleſia: ſicut enim obligatur Pater naturalis dotare filiam, ſic conſtruens Capellam.

Gloſ. in c. nemo de conſecr. d. 1. & in c. cum ſicut de conſecr. Eccl. & Alt. Et etiamſi patronus non haberet modum, ait *Sperell. deciſ. 67. n. 11. p. 1.* Et dos dicitur inſufficiens etiamſi Rector ex Eccleſia non recipiat victũ, cum teneatur erogare redditus in fabricam, deductis tamen prius alimentis ſibi neceſſarijs. *c. de ijs de Eccl. ædif. vbi Oſtien.* Abb. & alij. Eo ipſo enim, quod quis fundat Eccleſiam videtur ſe obligare ad omnia neceſſaria. *arg. auth. vt determ. ſit num. clericorum per totum ibi Bart.*

In Eccleſijs verò Cathedralibus, & Parochialibus vbi magis incubendum, attentius premendum eſt, ſi nullum adeſſet aſſignamentum, aut conſuetudo. Nam

In Cathedrali de priſco Iure tenetur Epiſcopus, præfatis omnibus deficientibus applicare quartam partem redditunm Eccleſiæ, quando nimirum Epiſcopus talem quartam reddituum habet. *c. quatuor. c. conceſſo. c. de redditibus, & c. vnio 12. q. 2. & 3. cum Gloſ. in omnibus, & ibi DD.* propter ſuas rationes ibidem expreſſas, quia tamẽn hodiè menſæ Epiſcopales nimis exhauſtæ ſunt, habet locum diſtinctio, qua vtuntur DD. vel Epiſcopus eſt diues ita, vt totum poſſit facere ipſe; & tunc ipſe ſolus tenetur; prout de facto, vt plurimum pij Antiſtites laudabiliter efficiunt. Vel Epiſcopus eſt pauper, vt vix redditus ſufficiant parco eius familiæ victui, & tunc in ſubſidium tenentur Canonici, & alij beneficiati eiuſdẽ Eccleſiæ percipientes fructus, & emolumenta, de fructibus ſc. ſuperfluis ad eorum neceſſaria. *Barb. p. 3. alleg. 64. n. 5. Ricc. in prax. p. 4. reſ. 339. Abb. in c. 1. de Eccl. ædif. Felin. in c. cum acceſſiſſent de conſt.* Et ſi præfatorum redditus non ſufficerent, compelli poſſunt alij Clerici inferiores, deductis eorum neceſſarijs; ſi enim omnes Clerici pro manifeſta cauſa tenẽtur ad præſtandum charitatiuum ſubſidium Epiſcopo. *c. cum Apoſtolus. §. prohibemus de Conſecr.* rationabilis cauſa eſt reparatio Cathedralis Eccleſiæ *Squill. ſup. n. 10. in fin.* Imò tenentur etiam contribuere pro rata penſionarij. *Nauar. conſ. vn. de Eccl. ædif.* niſi penſio impoſita eſſet libera ab omni onere. *Ricc. in collect. deciſ. Barboſ. ſuper n. 18. Conſtit. Iuſtin. lib. 2. tit. 1. c. 8. §. 12. lit. M.*

In Eccleſijs Parochialibus, de quibus plures extant difficultates idem dicendum eſt, vt ſupradictum; quod nempè primo tenetur Rector beneficiatus reparare, & prouidere de omnibus, ſeru. tamẽn ſeru. *c. præcepimus 16. q. 1. Ripa reſp. 1. n. 10.*

Non tamẽn tenetur de proprio; ſed tantum de redditibus proprijs eiuſdem Eccleſiæ. *Trid. ſeſſ. 21. c. 7. ex fructibus, & prouentibus quibuſcumq; ad eaſdem Eccleſias quomodocumq; pertinentibus.* de fructibus ſc. non omnibus, ſed ſuperfluis, detractis alimentis, & victu ipſius beneficiati. *c. de ijs ſup. de Eccl. ædif.*

Secundo, hoc deficiente, vti impotente, recurrendum eſt ad aliquod priſcum aſſignamentum, aut legatum, ſtatutum, vel conſtitutionem; vel ad aliquam conſuetudinem, eoſq; cogere. *arg. c. ad Apoſtolicam dè Sim. Genuen. in prax. c. 109 in fin.*

Tertiò, deficientibus prædictis, recurrendum eſt ad quartam fructuũ

certorum dictæ Eccleſiæ, qua quarta exiſtente, & ſufficiente nullus eſt moleſtandus. *d. c. vnic 10. q. 3. & c. quatuor, & c. conceſſo 12. q. 12. & c. vobis 12. q. 2. & c. 1. de Eccleſ. ædific. & ibi Gloſ. Hoſt. Abbas & alij.*

Si verò præfata omnia deficerent, vt non ſufficerent, & Parochia eſſet ſufficiens, detractis neceſſarijs ad victum, congruam, & honeſtã ſuſtentationem Parochi, Parochus ipſe tenetur ad prædicta. *c. 1. & 4. & c. de his de Eccl. ædif. Sperell. deciſ. 67. n. 4.* Parocho enim debetur congrua portio, quæ ſc. non excedat duc. 100. vel non minùs 50. *B. Pius V. Conſt. 46. ad exequendum. Belleſt. diſq. Cleric. debit. §. 16. n. 5.*

Cum verò Parochia eſſet adeò tenuis, vt redditus eius non ſufficerẽt ad congruam ſuſtentationem Parochi, & ad reparationem Eccleſiæ, tunc deficientibus vniuerſis prædictis medijs, & Parochia abundaret dote, liceret alienare aliqua bona eiuſdem Eccleſiæ pro ipſius fabrica ex ſuperabundante dote. *Paul. de Citad. de Iurepat. p. 6. ar. 58 2. Leo n. 65.*

Si autem hoc neq; eſſet, vt in caſu noſtro; tunc tenentur, & adſtringi debent Parochiani, & omnes audientes diuina officia in Parochia, & ibi recipientes SS. Sacramenta Eccleſiaſtica, & qui quocunq; modo ea Eccleſia fruantur, aut ab ipſa recipiant quæcunq; commoda, iuxta illud vulgus, *qui ſentit commodum, debet ſentire incommodum; & qui ſeminat ſpiritualia, temporalia metat. c. ſi Monachus, vbi Gloſ. 16. q. 1. c. Si Epiſcop. de offic. Ordin. in 6. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. Et ſic in puncto Abb. in c. 1. n. 4. de Eccleſ. ædif. & ibi Anchar. in princ. Ripa reſp. 22. col. 2. verſ. & ibi redditus. Ricc. p. 4. deciſ. 15. & reſol. 293. & in prax. p. 4. reſol. 349. Barboſ. Diana. Velaſc. conſult. 179. n. 12. 13. & 16* vbi teſtatur ſe pluries ita practicari vidiſſe. *Fuſc. de Viſit. lib. 17 cap. 10. n. 16. Gauant. in man. v. Eccl. & alii innumeri.* Eccleſiæ enim reparatio, reſtauratio, ornatio &c. fiunt ad publicum vſum, & omnium vtilitatem. *l. ſacrilegi n. 2. ff. ad l. Iuliam pecul.* Et in hoc caſu tenentur Parochiani ſubminiſtrare fabricæ opera manualia cum equis, calce, lapidibus, & alijs neceſſarijs vſque ad finem reparationis Eccleſiæ. *Mainard. deciſ. 33. Coſt. de rat. not. q. 157. n. 10. Sac. reſp. 36 n. 2. Gutier. alleg. 10. n. 7.* Laicorũ n. intereſt tales Eccleſias reparare, & ædificare cum in illis recipiant Sacramenta Ecclaſiaſtica, Miſſas audiant &c. Imò ampliatur, quod nempè ſi non ſufficerent fructus Eccleſiæ, Parochiani tenentur, etiam ſi nulla Populi eſſet conſuetudo; Tridentinum enim, vt ibi DD., loquitur extra caſum conſuetudinis: poſſuntq; compelli, ſi populus excreuerit, ad Eccleſiam ipſam Parochialem ampliandam pro ſubleuamine eorundem Parochianorum, imò etiam ad reparandam domum Rectoris, vti acceſſorium ad principale. *Lambert. & Belleſt. §. 14. n. 9. referens ſic declaraſſe Sacram Congr. ſuper eodem tex. cap. 7 Trid. D. Paul. 1. Corinth. & c. ſi Epiſcopus de offic. Ordin.* Eccleſia. n. eget Sacerdotibus miniſtrãtibus. *c. reuertimini 16 q. 1.* conſequenter indiget habitatione. *Lambert. qu. 7. art. 3. per totum.* Sicut etiam tenentur, ſi non ſufficiant redditus Eccleſiæ, idem preſtare Coadiutori Parochi, vti impotentis, vel infirmi, *Abb. in cap. de Rectoribus n. 6. de Cler. ægr. Ricc. in prax. p. p. reſ. 304. n. 11.* ſed vt dictum eſt in ſubſidium.

Et Parochiani nedum poſſunt, verum debent cogi ab Epiſcopo ad contribuendum, ait *n. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. de reform. in fin.* (*aut in illorum defectum Parochianos omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogant, quacũq; appellatione, exemptione, & contradictione remota.*) *Benedict. in cap. 1. Mart. de iuriſd. p. 2. cap. 48. n. 14. & ſeqq. Boer. deciſ. 136. per tot. Velaſc. conſ. 91. §. Vlt.*

Et cum citandi, vel cogendi ſunt populi ad contribuendum pro Fabrica, reparationibus &c. dirigi debent citationes, vel mandata contra ſingulos, non autem Poteſtates, aut patres Communitatum, vt bene *Bero. conſ. 19. n. 31. Vol. 1. Roland. conſ. 53. n. 5. & ſeqq. Sperell. deciſ. 67. n. 57.* Ad tollendum autem lites, & ad expeditius iuuandum Eccleſias, vbi Epiſcopo conſtabit de bono iure Parochi, & de impoſſibilitate aliter reparandi Eccleſias, nonnulli conſultum ducunt interdicere Eccleſiam ad talem finem, vt citiùs eam reparare ſe reſoluant, ſaltèm contribuere. *Sperell. d. deciſ. 67. n. 37. in fin. Conſtit. Iuſt. ſup. lit. l. n. 23.* Et quod dictum eſt de Parochialibus Eccleſijs, idem intelligendum eſt de Cathedralibus *Barb. alleg. 64. n. 6.* Et idem dicendum eſt ſi Parochia fuerit de Iurepatr. impotentibus omninò patronis. *Trid. ſup. d. c. 7. §.* Parochiales. *Abb. conſ.* 80.

Notandum verò quod quicquid dictum eſt de Eccleſiarum refectionibus, & reparationibus, idem intelligendum eſt de ornamentis, vt de Cereis, luminaribus, calicibus, indumentis, lignis, ferris, fabricis, & cæteris ſimilibus ad diuinum cultum, & Eccleſiarum ornatum ſpectãtibus, ſine quibus diuina celebrari non poſſunt. Fabrica enim Eccleſiæ, & ornamentorum præparatio parificantur, cum ſit æqualis fauor ornamentorum, & fabricæ *c. fin. de teſtam. Barb conſ. 26. n. 1. & 4. ſurd. conſ. 62. Vol. 1. Ventrigl. in Praxi Eccleſ. annot. 18. §. Vn. n. 2. & 22. Caualcan. deciſ. 22. n. 24. p. 2. Campan. diuer. Iur. can. reſ. 12. cap. 13. n. 19. & alij.* Imò appellatione fabricæ venit etiàm pictura. *Bald. in l. ſi quis ad declinandam C. de Epiſc. & Cler.* Et ſub prædictis obligationibus venit alia præſtandi oleum ad accendendas lampades ante altare, vbi Sacra aſſeruatur Synaxis. *c. ſanè de celebr. miſſar.*

Præmiſſa etiam procedunt vbicunq; Parochiales Eccleſiæ nullos redditus, vel adeò tenues habent, vt Parochi certa annua, vel menſtrua pecuniæ ſumma à Parochianis conducantur; quia collectæ pari modo per ſolidum, & libram iuxta vnius cuiuſq; patrimonium, & illius quantitatem ſunt imponendæ, cum eadem ratio militet. *l. illud ff. ad l. Aquil. Leo in prax. p. 2. de viſitatione cap. 16. n. 75.* Hæc autem onera extraordinaria, quæ pro neceſſitate, & vtilitate publica inducuntur, ordinarijs, & merè laicalibus æquiparantur. *l. omnes omnino C. de annon. & tribut. lib. & l. munera, C. de muner. patr. eodem libro.* Ideò pauperes, & diuites ſecundum quantitatem patrimonij, & non ſecundum numerum perſonarum collectas pati debent. *Leo in prax. Theſ. p. 2. de Viſitat. c. 16. num. 74. & alij.* Onus .n. reparandi Eccleſiam Parochialem pauperẽ eſt adeò publicum, & commune, vt nemo ab eo excuſari poſſit; & ideò Parochianus nequit cedere vſui dictæ Eccleſiæ, &

aſſerere

aſſerere nolle eâ potiri , ac abſcedere à loco Parochiæ pauperis , vt euitaret tale onus , & ſic non poſſe cogi ad id. Nam hoc non pendet ab eorum voluntate *c. omnis de pœnit. & remiſſ.* & inſuper id reſpicit communem vtilitatem præteritam , & futuram . *Abb. in c. 1 n. 4. in fin. de Eccl. ædif. & in c. vnio, ibiq; DD. Barboſ. alleg. 64. n. 6. & 7.* Et idem intelligitur de Clericis , & Epiſcopis non potentibus renunciare beneficia in præiudicium dicti oneris, & probatur . *arg. l. ad refectionem C. de Sacroſ. Eccl.* Et ſic tenenentur contribuere multò magnificentius Magnates , nobiles , & perſonæ ciuiles , ac ditiores . *Barb. citat. c. 4. n. 8.*

Item Exteri , & Forenſes , alio in loco domicilium habentes, debent collectari , debentque contribuere ratione bonorum immobilium , quæ habent in loco ; & territorio Eccleſiæ conſtruendæ, vel reparandæ. *Pacian. conſ. 7. n. 99. 106. & 120. Cabed. d. deciſ. 91. n. 9. Melch. Phabos. Luſit. daciſ. 34. tom. 1 Barb. ibidem n. 10. Belle ct. Ricc. deciſ. 293 . n. 5.* Eſt .n. opus publicum , & commune . *l. ad refectionem C. de Sacroſ. Eccl.* Et huiuſmodi onus eſt reale . *Antonel. lib. 1. c. 2. §. IV. & quamplures DD. apud Ricc. in praxi For. Ecc. p. 4. reſ. 351. qui & allegat. S. Cōg. decret.*

Et qui tenentur ad reſtaurationem , & ornamenta Eccleſiarum Parochialium , tenentur etiam ad nouam ædificare , vel antiquam ampliare , quando populus itá excreuerit , vt non poſſit in ea capi ; id .n. neceſſarium eſt adhoc vt populus ſatisfacere poſſit ſuæ obligationi conueniendi ad diuina . *c. pracipimus , & c. plures 16. q. 1. Ripa reſp. 1. n. 10. Bellect. 9. 14. n. 1. in fin.* Sicut dicimus , quod vbi de neceſſitate eſt ædificanda Eccleſia propter periculum animarum ex abundantia Populi , & non eſt vnde poſſit dotari , tenentur Parochiani prouidere Rectori de victu . *Lambert. de Iurepatr. lib. 1. p. 1. q. 5. art. 8. in fin. verſu aduertendum , & d. art. 2. n. 7. verſ. & ſi iſti beneficiati . Guttier. pract. qu. lib. 1. q. 17. n. 15.* Vnde quod dictum eſt de Eccleſijs Parochialibus , idem intelligendum eſt de Cathedrali . *Barb. allegat. 64. n. 6.* Et idem dicendum eſt ſi Parochia fuerit de Iurepatr. impotentibus patronis . *Trid vbi ſup. d. c. 7. Abb. d. conſ. 89.* Ratio .n. quare Patroni teneantur eſt propter honorantias primi loci in proceſſionibus, & ſeſſionibus , percipiūtque alimenta ab eadem Eccleſia in neceſſitate . *c. nobis § fin. vbi Gloſ. pen. & fin. de Iurepatr. c. quicumq; 2, & ibi Gloſ. 16. q. 7. Vnde verſus.*

Patrono debetur honos , onus , vtilitaſque
Præſens vt præſit , defendat , alatur egenus .

Quæ neceſſitas reparandi , atque reſtaurandi Eccleſias facit licitum Epiſcopis applicare ad tempus redditus beneficiorum vacantium Cathedrali Eccleſiæ , ſi redditus ipſius Epiſcopi , & Canonicorum non ſufficiunt , accedentibus Canonicis . *Abb. in c. 1. de Eccl. ædif. poſt Andream in c. ſi propter de reſcriptis in 6.* eſtque communis vt teſtantur *Felin. & Barb.* Dummodo alteri non competant fructus primi anni , & ſic limitatur *Clem. ſi vna de reb. Eccl. non alien.* Adde quod propter eãdem neceſſitatẽ Epiſcopus poteſt de fructibus fabricæ vnius Eccleſiæ ſuperfluis aſſignare fabricæ alterius Eccleſiæ pauperis . *Ant. de Burg. in l. quæ in Eccleſiarum de Conſtit. n. 272. per Gloſ. in c. conſtitutus de Re-*

lig.

lig. dom. & *in c.1. de reb. Eccl. non alien.* & notat *Abb. in c. expoſuiſti de præb. Genuen. in man. vbi ſup. n. fin.* Ideò mandante in actu S. Viſitationis Philippo de Sio Epiſcopo Boianeñ. de anno 1646. quod Eccleſiæ, & Confraternitates SS. Trinitatis, S. Mariæ de Cruce, & D. Antonij Abbatis contribuerent Cappellæ, & Confraternitati SS. Corporis Domini in terra Campibaſſi, vti pauperi, & ſignanter pro faciendo baldachino, Sacr. Congr. Conc. id approbauit, & laudauit ſub die 17. Sept. 1650.

Et ſi Eccleſia ipſa, patroni, & Parochiani omnes egeſtate laborarent, ita vt ab illis nequeant haberi expenſæ pro reparatione, & reſtauratione prædicta, ne paulatim quidem: tunc poteſt Epiſcopus eas transferre cum eorum titulis, & bonis ad Eccleſias matrices, ſeu viciniores, cum facultate tàm ipſas Parochiales, quàm alias Eccleſias dirutas in profanos vſus, non tamen ſordidos conuertendi, inibi erecta Cruce, eſtque Regula generalis per *Trid. vbi ſupra c. 7. Ricc. in prax. p. 2. reſ. 208. per tot.* & hoc ſi populus, vel alius nolit eam reſtaurare. *Fuſc. de Viſitat. lib. 1. cap. 8. n. 16. Barboſ. de poteſtate Epiſcopi p. 3. alleg. 64. n. 13. & deniq. Sacr. Cong. Ep. 23. Nou.* 1580. Hocq; intellige in ſubſidium tantum, & cùm nullatenus ea reparari poteſt, ita vt ſi ex redditibus illius poſſet reparari, potius ceſſare debent Miſſæ, vt Eccleſia reparetur. *Genuen. loco cit. n.* 5. vbi ad hunc finem denegat alimenta etiam Rectori; quod non eſt permittendum, quando poſſet populus, vel patronus. *Ventrigl. vbi ſupra n.* 33. Cumq; transferantur aliò, ibi mandare debet Epiſcopus, vt beneficiatus ſatisfaciat ſuis oneribus Miſſarum celebrandarum ad præſcriptum ſuæ obligationis: atq; Cœmeterium, & oſſa mortuorum ſi eſſent in Eccleſia diruta, eis de ſepultura prouidere vbi transfertur. *Salgad. de pot. Reg. to. 1. p. 1. c. 5. n. 27. Barb. in Collect. Trid. cit. c. 7. n. 26. in fin. Ventrigl. vbi ſupra annot. 17. §. Vn. n.* 34. Aduertantq; tandem Ordinarij non debere permittere, quod Eccleſiæ veteres remaneant extra habitatum, & per arua derelictæ, ſæpè .n. eſſe ſolent receptacula ſceleſtarum actionum, ad quod forſan reſpiciens Trid. ſtatuit illas eſſe profanandas, ibiq; erigendã Crucem. *Ventrigl. vbi ſup. n.* 28.

Ex quibus omnibus ſupradictis ſequitur debere valde reflecti ſuper hanc materiam, & ad quot, quæ, & quanta conducit neceſſitas, & clarè etiam conſtat, quod Communitates, earumq; populi ſi tenentur ad omnia, vt probatum eſt, magis cenſentur obligari ad ea præcisè, quæ ipſis ſunt vtilia, & neceſſaria, vt ſunt *Campanæ, earumq; funes, Campanile, horologium, Sepultura, Pergama, Confeſſionalia, Sedilia communia, pauimentum ſub eorum genibus, & pedibus, quæ ipſorum vſu conſumuntur, tectum ad eoſdem cooperiendum. Cœmeterium ad eorundem oſſa conſeruanda & c. ſimilia:* Si .n. Eccleſiaſtici tenentur ad refectionem mænium, pontium, turrium, & cęterorum huiuſmodi, vti rerum cõmunium, ſed ſine coactione, ſed beneplacito Papæ. *c. non minus de imm. Eccl. §. quocirca*, & tamen Eccleſiaſtici alia habent onera ſc. Celebrandi Miſſas, recitandi diuina Officia, Litanias cantandi, campanas pulſandi &c. quantò magis vniuerſitates, & populi ad præfata tenentur,

nentur, vti nedùm communia, at verum populo maximè vtilia, & pernecesſaria in Eccleſijs, in quibus Eccleſiaſtici tot, tantaq; ſpiritualia bona exercent?

Pleno igitur iure, agitur de Collecta inter Parochianos facienda, pro nonnullis huius noſtræ Diœceſis pauperrimis Parochialibus Eccleſijs inſtaurandis, quas pluribus ab hinc luſtris non viſitatas ea, quæ ad diuinum exteriorem cultum faciunt, omninò deficiunt. Summæ autem, paternæque prorsùs benignitatis non vulgare argumentum præſtitum eſt, cùm, etſi ex duodecim Parochijs (quæ diœceſis medietatem conficiunt) hactenùs viſitatis, nulla ferè præfatam Collectam vllo pacto effugere debuiſſet; tamèn non nisì pro tribus (cum nullus aliuſſuppetat modus) Collectæ, eæq; (prout currentium temporum ferunt ærumnæ) tenuiſſimæ factæ ſunt; ſed non adhùc publicatæ, vt vel earum rumor ad oblationem omninò ſpontaneam alliceret. Præfatæ autem Collectæ ſunt; nimirùm, pro Eccleſia Parochiali Montis Regalis *ducatorum viginti octo, & octo*, vt dicunt, *baioccorum*. totidem circitèr pro Eccleſia Parochiali Caſtri Boræ: pro Eccleſia Parochiali S. Bartholomæi de Taipano *ducatorum quinquaginta ſex*, & *baioccorum decem* & *ſeptem*. Quorum ſumma, pars minor eſt expenſarum, quæ exquiſito peritorum iudicio, ſunt neceſſariæ; parte reliqua aliundè ſuppleta. Nam qui Pater eſt pauperum, vt iure eſſe debet, de proprio portionem pro ijs Parochianis dedit, qui paupertate laborant, iisdem propterea aut nihil, aut paululum taxatis; Imò pro aliarum inſtauratione Parochialium (quæ omninò ad Parochianos ſpectabat, attenta Rectorum, & Eccleſiarum paupertate deplorabili) Summam *ducatorum Centum*, & *triginta* ſeſe in eorumdem Parochianorum leuamen eleemosynæ titulo erogaturum promiſerat; nec non pœnas, quas ob edictorum tranſgreſſiones non nulli Parochi incurriſſe reperti ſunt, ad eundem effectum applicauit. Hæc Typis tradita ſunt, vt hilariori omnes animo dent quæ ſunt Dei Deo: *hilarem enim datorem diligit Deus*. Pauci verò ditiores, quibus tenuendi forsàn eſſet animus, Diuum Auguſtinum timeant inſonantem: *Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti; & hoc tollet Fiſcus, quod non accipit Chriſtus*. Vniuerſi deniq; vereantur, nè quis illam Ieſu Christi Domini noſtri comminationem, quam Ieruſalem latam ſententiam experta fuit, inſipienter incurrat, *eò quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ*.

Cæſenæ apud Petrum Paulum Receputum Epiſc. Typographum.

VAL 1521622